



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Simul duratione Angelos fuisse beatos, & meruisse suam beatitudinem,
multi alij Scholastici docuerunt. c. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

enim ex meritis aliquibus etiam futuris conceditur, dicendum est alias non concessum iri, nisi talia merita essent futura, nam ablata causa, aufertur effectus, sicut qui concedunt causam veniendi Christum fuisse remedium peccati, consequenter afficiant, ablato peccato non venturum Christum.

Secundo.

Secundo contra prædictam sententiam pugnat doctrina illa, quam late sumus prosequuti aduersus Alexandrum supra disp. 91. cap. 6. nempe principium meriti non posse cadere sub ipsum meritum, cuius est principium: & ita neque gratiam, quæ est principium boni vsus, cadere posse sub meritum boni vsus, tamen si alioqui non repugnet, meritum esse posterius tempore, quam id, quod datur propter meritum: atqui opera omnia subsequencia beatitudinem sunt ex ipsa beatitudine tanquam ex principio aliquo modo: ergo non potest angelus per opera illa sequentia mereri suam beatitudinem. Hæc ratio optime ostendit falsitatem præcedentis sententiæ, si ostenderimus, opera sequentia beatitudinem esse ex ipsa beatitudine tanquam ex principio. Nam si dicamus beatitudinem consistere in visione clara Dei, opus charitatis oritur ex ipsa visione: ergo per charitatem non posset quis mereri visionem. Si vero dicamus, beatitudinem esse in actu charitatis: tunc eadem ratione beatitudo non esset ex merito ipsius charitatis, quia idem non potest seipsum mereri. Præterea opera aliarum virtutum etiam oriuntur ex ipsa charitate, & visione, aut eas supponunt tanquam aliquid prius, ut infra ostendemus, ergo & illa non possunt esse meritoria gloria, quam ut priorem supponunt: oriuntur autem cætera opera ex ipsa charitate in beatis, quia imperantur a charitate, aut saltem illam ut priorem aliquo modo supponunt, ut infra quoque dicemus.

Ratione.

Tertio eadem sententia rejicitur, quia sequeretur quemcunque beatum in dies posse per noua opera maiorem gloriam mereri, & ita homines non solum consequerentur gloriam per bona opera, quæ in hac vita fecerunt, sed etiam per opera facta in ipsa beatitudine: quod est absurdum. Quod si dicas, ad rationem meriti non solum requiri condignitatem in operibus, sed etiam pactum & promissionem: ideoque homines beatos non mereri maiorem gloriam per opera sequentia, hoc facile impugnabimus 1. 2. q. 14. artic. 2. ubi ex professo ostendimus ad rationem veram & perfectam meriti non esse necessariam promissionem, nec pactum vllum, aut acceptationem, id quod aliqua ratione monstrauimus supra disp. 85. cap. 4. quare qui semel concedit opera sequentia beatitudinem esse condignam maiori gloria, cogitur concedere in beatis meritum condignum beatitudinis, seu augmenti beatitudinis, quod idem est. Et sane licet promissio, aut pactum inter Deum; & creaturam requireretur, ut opus condignum haberet rationem meriti, ridiculum esset, asserere, tale pactum intercessisse inter Deum, & angelos, ut eis statim sine præcedenti merito daret gloriam ea lege, & pacto, ut in gloria ministerio hominum inuigilarent. Adde etiam, quod si opera subsequencia beatitudinem ex se condigna essent in hominibus maiori gloria; non esset asserendum, Deum illis denegare augmentum, cuius ipsi beati digni essent nec enim Deus negat id, quo aliquis dignus est. Quare autem opera facta in beatitudine nec sint me-

ritoria, nec digna maiori gloria & augmentum antecitato vberius dicemus.

Quarto, si Deus angelis bonis dedisset gloriam & malos electionem, nec vllam inter bonos & malos electionem ad gloriam ex meritis gratie in tempore fecisset, non videretur Deus equitatis seruasse in gloria distributione: siquidem de malis non minus eam meruissent per bona opera, quam boni: utrique enim laborassent quantum opus esset ad tantæ gloriae compensationem. Et quantum in gratia distributione Deus ita libere se gerat, ut nemo denegat, quod alteri concedit, hoc mirum non est: quia gratiam distribuit absque vllum futurum meritum vel præcedentium, vel subsequendum. At vero si gloriam quibusdam tribuit propter merita futura: cur non eandem alijs tribuit, in quibus sciebat tanta etiam & tam insignia futura merita, si gloriam contulisset? Et quantum hoc sine iniustitia Deus facere potuisset, id tamen non videtur consonum ipsius doctrinæ, qui gloriam suam non negligentibus mandata, sed recte operantibus, & eis, qui per bona opera ab alijs se distinxerunt, promittit.

Ex his vero facile illi posunt argumenta, quæ pro hac opinione superiori capite allata sunt. Ad primum quid sit respondendum, manifestum est ex ijs, quæ diximus disp. 91. capite 6. ubi ostendimus, non posse principium meriti cadere sub meritum ipsum: ac proinde nec opera ex gratia meriti posse ipsam gratiam, nec sequentia beatitudinem mereri posse beatitudinem. Quid vero respondeat Durand. in 2. d. 5. quæst. 3. num. 9. quare miles consequatur a rege equum in præmium propter bonum vltim futurum illius, sed nemo possit a Deo consequi gloriam propter opera consequentia, ibidem retulimus, & impugnavimus, veramque vtriusque differentiam alligauimus. Ad secundum dico, Christum, quæ erat comprehensor, non potuisse mereri sibi gloriam essentiali, nec augmentum illius alijs vero recte potuisse mereri per aliqua opera libera. Quæ vero ille, qui iam beatus est, & Christus sibi non mereantur vitam æternam, dicemus 1. a. quæstione 114. articulo 4. & 3. parte quæstione 19. articulo 3. quocirca & angelis mereri possunt nobis multa dona, sicut vnus viator alteri viatori, & sicut Christus nobis meruit: quod enim Christus viator esset ratione corporis, pactum referebat, ut nobis mereri posset, si alioqui angelus beatus nobis mereri non potest, ut in illo articulo 3. late ostendimus. Ad tertium dicimus, in vno instanti temporis discreti, quod nostro tempore respondet, potuisse angelum mereri vno, aut pluribus actibus tantam præmij mercedem, quantum habet nunc in beatitudine.

CAPVT IV.

Simul duratione Angelos fuisse beatos, & meruisse suam beatitudinem, multi alij Scholastici docuerunt.

PER multi, grauesque Scholastici Doctores etiam sequuti sententiam non multum à præcedenti dissentient: dicunt enim, angelos in primo instanti in pura natura creatos: deinde iterum non prius tempore meruisse vitam æternam, sed simul duratione fuisse beatos, eam quæ sibi meruisse, ita tamen ut meritum ordine caritatis & c.

11. & (vt aiunt) natura præcederet beatitudinem. Hanc opinionem tradiderunt Albertus 2. p. summa tractatu 4. q. 19. S. Thom. quodlib. 9. q. 4. artic. 3. sine 8. & in 1. d. 5. q. 2. art. 2. & eadem d. Bonau. artic. 3. q. 2. Agidius q. 2. art. 2. Ricard. artic. 2. qu. 1. Marfil. in 2. q. 4. art. 2. conclusionem 4. & seq. corollariis. Ioannes Maiorinus in 3. d. 7. q. 1. denum Thomas de Argentina d. 4. & 5. qu. 1. art. 4. docet, ita esse occultum, utrum meritum fuerit prius an simul duratione, cum ipsa beatitudine: vt nullus mortalium id scire possit, nisi Deus reuelauerit. Additque, ea omnia, quæ contra hanc opinionem afferuntur, nullius esse momenti: quare & eam probabilem esse ceter. Adde etiam Maiorem loco inferius allegando, qui in eo saltem cum Doctoribus huius sententia conuenit, vt licet ita factum non fuerit, poterit tamen simul duratione esse meritum vitæ æternæ cum ipso. Omnes vero huius opinionis auctores in eo cum Doctoribus præcedentis conueniunt, vt meritum vitæ æternæ non fuerit prius ipsa beatitudinis ademptione. Commune autem fundamentum eius est, quia hi omnes existimant primum, Angelos non fuisse in gratia creatos: quare & in primo instanti nec fuisse beatos: nec vitam æternam promeritos fuisse: deinde nihil ob stare, quo minus simul duratione sint meritum, & præmium, vt constet in augmento charitatis, & eius merito: cum igitur simul duratione esse possit meritum vitæ æternæ, & ipsa vita æterna, seu beatitudo: non sine fundamento videtur dictum, simul duratione meritum beatitudinis, & ipsam beatitudinem in Angelis fuisse: imo vero addit Agidius eodem modo philosophandum esse etiam in opinione eorum, qui dicunt Angelos in gratia creatos fuisse, vt simul duratione fuerint creati in gratia & beatitudine cum merito ipsius beatitudinis: ceterum, quia omnes Doctores allegati docent Angelos non fuisse in gratia, nec in beatitudine creatos, via Angelorum secundum hanc opinionem ita debet disponi, vt boni vnum tantum habuerint instans discreti temporis, iuxta ea, quæ inferius dicemus, in quo fuerint in pura natura; in secundo vero instanti in gratia, merito, & beatitudine constituti; at vero mali in primo instanti in pura natura, in secundo, peccato maculati, in tertio supplicio fuerint additi.

12. Hanc sententiam varie explicat, & defendunt Doctores eius, verum antequam sequenti capite singulorum rationes eam explicandi, & defendendi examinemus, placuit in hoc præfati vniuersim eam impugnare, quatenus affirmat Angelos non prius tempore beatitudinem fuisse promeritos, quam essent beati, quia constat homines prius tempore promereri vitam æternam, quam illam consequantur, & tunc dicuntur esse in via, & spe vitæ æternæ laborare, & hoc idem fieri potuit in Angelis, idque si fieret, maxime videretur consentaneum providentiæ diuinæ circa creaturam rationalem; præsertim vt inter malos, & bonos prius distingueret, quam illis aut præmium, aut supplicium assignaret, ergo id factum fuisse, asserendum est, præsertim cum nulla ratio cogat asserere, opposito modo factum fuisse: nam si aliquid rationes oppositæ sententiæ probant, illud sane solum est, nihil repugnare, simul duratione in Angelis fuisse præmium, & meritum, quod satis non est, vt ita factum esse asseramus. Porro hoc maxime pugnare cum vera ratione meriti vi-

tæ æternæ, sequenti capite non obscure monstrabimus. Hæc est, mea quidem sententia potissima ratio, quæ prædictam opinionem vniuersim refellit. Alias tamen duas, quæ contra illam afferri solent, antequam ad alia procedamus, paucis examinare visum est.

Prior ratio est Scoti, & Gabriel. & Maioris locis inferius allegandis, in hunc modum: ad rationem meriti necessaria videtur voluntas, quæ mutabiliter operetur, hoc est, libera voluntas, quæ possit velle oppositum, aut à proposito cessare: sed in statu beatitudinis voluntas non operatur mutabiliter: ergo non potest in eo statu ipsam beatitudinem mereri: hæc tamen ratio nihil probat: nam libertas illa non videtur necessaria ad rationem meriti: siquidem Christus acceptans præceptum moriendi merebatur, & tamen voluntas eius non operabatur tunc ita mutabiliter, vt posset oppositum velle. Denique ad rationem meriti licet sic necessaria aliqua libertas, & sufficiat quoad exercitium; tamen libertas peccandi, & volendi oppositum nequaquam requiritur, imo id asserere, videtur absurdum, quia ex tali opinione sequitur, Christum non potuisse mereri operibus præcepti, quia neque peccare potuit contra illa, vt late ostendam 3. p. q. 19. art. 3. Porro non possum non mirari Scotum, quod sui non memor hac utatur ratione: siquidem, vt referam 1. 2. q. 4. art. 1. ipse plane sentit beatum non necessario moueri ad dilectionem Dei ex clara visione, sed ab ea libere cessare posse, & contrarium velle, atque peccare: licentim potius inferre deberet, Angelos in beatitudine potuisse sibi mereri beatitudinem, etiam si mutabilitas illa voluntatis ad rationem meriti necessaria esset.

Posterior ratio est S. Thom. in hac qu. artic. 4. quæ talis est: omne meritum gloriæ supponit gratiam imperfectam, & nondum consummatam tanquam radicem sui: qui autem est in beatitudine, iam habet gratiam consummatam, ergo non potest mereri. Hanc rationem impugnat Scotus loco allegando: quia fieri potest, vt quis in via tantam habeat gratiam, quantum alius habet in patria: ergo ex illa parte nihil obstat, quo minus ille, qui est in patria, mereri possit, sicut ille, qui est in via. Verum mentem S. Thom. in hac ratione Scotus non satis intellexit: nam sanctus Doctor non ideo appellat gratiam imperfectam & nondum consummatam, quæ esse debet principium meriti, quia remissior sit, quam gratia beatitudinis, sed quia nondum est in termino & beatitudinis statu confirmata. Ceterum, quamuis hoc modo intellecta propositione maiori quam assumpsit S. Thom. recte inferatur, nullum esse posse meritum simul duratione cum statu beatitudinis, tamen ea maiore propositio confirmanda prius erat: nam de ea videtur præcipua difficultas in prædicta opinione. Mitto tertiam illam rationem, qua quidam videntur contra hanc opinionem, assumentes vt principium illius, meritum debere in vniuersum prius duratione esse, quam præmiū. Hæc enim propositio manifeste falsa est, vt constat ex fundamento huius opinionis, quod supra allatum est, siquidem meritum augmenti gratiæ simul duratione esse potest cum ipso augmento gratiæ.

CAPVT V.

Variis modis præcedens opinio explicatur ac defenditur. Vm præcedens sententia non parum difficultis, sit, Doctor, qui eam consequatur, non eo-

Rationes
Scoti &
Gabr. contra
præcedentem
opinionem ex-
penduntur.

Ratio S. Tho.